

SERTVM HANNOVERANVM

S E V

P L A N T A E R A R I O R E S

Q V A E I N

HORTIS REGIIS HANNOVERAE VICINIS

C O L V N T V R.



A V C T O R I B V S

HENRICO ADOLPHO SCHRADER

E T

IOANNE CHRISTOPHORO WENDLAND.

---

VOLVM. I. FASCICVL. II.

---

GOETTINGAE,

PROSTAT VENALE APVD VANDENHOECK ET RVPRECHT.

cloccclxxxxvi.

МАЛЫШЕВ МАКСИМ

БОРИСОГЛАДОВ

СИДОРЧУК ПІОНОРІЙ

СІДОРЧУК ПІОНОРІЙ

# PROTEA PVLCHELLA.

## TETRANDRIA MONOGYNIA.

CHAR. ESSENT. vid. in Fasciculo priori.

Sectio \* Pinnatae, *foliis pinnatis, filiformibus.*

PROTEA foliis bipinnatis filiformibus glabris, strobilis ouato-oblongis terminalibus verticillatis: squamis calicinis sericeis apicula reflexa terminatis.

FRVTEX quadripedalis, erectus.

CAVLIS ramosus, teres, cortice fusco. Rami alterni, erecti, saepius flexuosi, teretes, sericei, foliosi, floriferi. FOLIA sparsa, petiolata, filiformia, teretiuscula, bipinnata: pinnis oppositis, inflexis; pinnulis alternis mucrone rigido flavescente terminatis, canaliculata, coriacea, glabra, saturate viridia, per lentem speckata punctis dilutioribus adpersa. Petioli vnciales vel sesquiunciales, erecti, foliorum pinnis similes, basi crassiores flavescentes. Stipulae nullae.

FLORES strobilacei, terminales, ouato-oblongi. Strobilus primarius sesquiuncialis, ad cuius basin 3-6 stipitati triplo minores verticillatim positi.

PEDVNCVLI breues, incrassati, sericei.

CALIC. squamae uniflorae, suberosae, obtuseae, apicula reflexa terminatae, externe sericeae, interne leuiter striatae glabrae.

COROLLA tetrapetala, calicinis squamis multo longior, albido-pallescens; petala angusta, utrinque paulo latiora, deflexa, externe pariter sericea, interne glabra, apicem versus soueola oblonga insculpta.

STAMINA quatuor, quorum singula singulis petali cavitatibus impressa, absoluta vero fructificatione paulo exserta. Filamenta compressa, pallescenti-albida. Antherae interiori filamentorum margini adnatae, uniloculares, longitudinaliter dehiscentes, flavae.

GERMEN ouato-acuminatum, viride, villis erectis mollibus nitentibus stilum fere aequantibus obsecum. Stilus gracilis, teres, nudus, dilute flavo-virens, reflexus. Stigma clavatum, utrinque attenuatum, pubescens, stilo concolor et cum illo ad fructus maturitatem persistens.

NVCES trigonae, uniloculares, monospermae, apice stilo persistente terminatae, villosae, fuscescentes. Hae singulæ intra singulas strobili persistentes et per aetatem conici ac durioris squamas contentae.

SEMINA ad basin stilo adnata, glabra, fuscescentia. Integumentum simplex, membranaceum. Nucleus albus. Habitat in Nouae Hollandiae sinu Botany-bay. †

Temp. fl. mens. Iulii aut Augusti; semina fert Decembri. Aestate optime sub dio viget, tempore hyemali in frigidario afferuanda. Propagatur per semina et forte etiam per taleas.

Foliorum diuisione pulchellae huic specie plurimae Proteae affines sunt, flores vero in strobilos collecti inque verticillum terminalem dispositi, eam ab omnibus Proteis, foliis bipinnatis instructis, distinguunt.

Expl. Tabulae. a. Corolla separata. b. Petalum. d. Idem auctum. c. Pistillum. e. Idem auctum.

\*) Lectorem monemus, et huius Fasciculi plantas ex horto BERGGARTEN esse desumptas, eumque tertii et quarti Fasciculi materiem esse subministraturum, quae primo Volumini absoluendo satisfaciet.

## T A B. VIII.

DIOSMA VNIFLORVM LINN.  
PENTANDRIA MONOGYNIA.

CHARACT. ESSENT. EMEND. Corolla 5petala. Nectarium plicatum, supra germen. Capsulae 3-5 coalitae, rarius vnicula slocul. svaluis. Semina arillo elastico obuallata.

DIOSMA foliis ouato-oblongis, floribus solitariis terminalibus. Lin. Syst. Nat. ed. Gmel. II. p. 409. n. 17. Spec. Plant. ed. Reich. T.I. p. 558. n. 12.

FRVTEX humilis, sesqui- vel bipedalis, erectus, resinam olens.

CAVLIS ramosissimus, teres, cortice cicatricibus scabro fusco. Rami ramulosi, foliosi, alterni, curuati, erecti, teretiusculi, subrimosi, leuiter pubescentes, superne glandulis minutis obfessi, pallide fuscii.

FOLIA sparsa, subfessilia, patentia, ouato-oblonga, integerrima, coriacea, vniuerua, margine pone apicem scabriuscula, basi haud raro pilis sparsis hirta; supra conuexa laevia glabra saturate viridia, subtus concava glandulosa flauo-viridia. Petioli breuissimi, compressi, margine ciliati, flavescentes. Stipulae nullae.

FLORES in ramorum ramulorumque apicibus terminales, solitarii, sessiles, speciosi. Bracteae nullae.

PERIANTHIVM monophyllum, 5fidum: laciniis ouato acuminatis, patentibus, interne glabrum, externe glandulosum, pilis sparsis hirtum, colore dilute e viridi fulcescente.

PETALA quinque, obouata, vnguiculata, calice multo maiora, patentia, ex albido carnea, linea rubra per medium decurrente notata, subtus et margine leuiter pubescentia.

NECTARIVM glandula annularis, quinqueplicata, viridis, supra germen calicis margini interiori filamentorum basi inserta.

FILAMENTA quinque, brevia, subulata, teretia, pilis viscidis hirta, rubella. Antherae ouatae, biloculares, flauo-rubescentes, ad latus internum infra apicem tuberculo viscoso viridi sub pollinis dilatatione sepe reflexante instructae. Cum his alternant filamenta longiora, incurua, pilis pariter erectis et viscidis hirta, rubella, tuberculis conuexis viscidis purpureis terminata.

GERMEN subrotundum, subpentagonum, pilis glanduliferis viscidis obfessum, viride. Stilus teres, nudus, staminibus brevior, viridis, erectus, ante fructificationem vero curuatus et in germine decumbens ut obiter inspicient nullus adesse videatur. Stigma quinquecapitatum.

CAPSULA calice persistente obtecta, ouata, tuberculosa, hirta, pallescenti-fusca, transuersim venosa, singularis, slocularis, svaluis \*): valuulis extrorsum concavis, intus e medio septiferis.

RECEPTACVLVM nullum, semina funiculo paruo compresso interiori dissepimentorum margini affixa.

SEMINA in quoouis loculamento 2 \*\*), altero semper abortante, arillata, oblonga, turgide lenticularia, laevissima, atra, ad latus internum vmbilico paruo albo notata. Testa crustacea, fragilis; membrana interna tenuissima, albida, in basi chalaza parua fuscescente instructa.

ARILLVS loculamento conformis, cartilagineus, laevisimus, straminei coloris, apice elastice in 2 valvas dehiscens. Habitat ad Caput Bonae Spei. 5

Tempus flor. mense Maii aut Junii; fructus perficit Septembri. Aestate sub dio vegetat, per hyemem in frigadio afferuandum. Propagatur per semina et tales.

A PLUCKNETIO vti et nuperrime a CURTISIO \*\*\*). D. *vniflorum* icona iam redditum est, nihilominus tamen speciosam hanc plantam in fertum nostrum recipere non dubitauimus; cum non solum integrae Diosmatis fructificationis delineatio adhuc desideretur, sed etiam quia nostra species capsulae structura ab omnibus congeneribus omnino recedit. — Conferenti HAENKEAE characterem genericum, nullum dubium erit, nouum hoc a Cel. SCHMIDTIO †) constitutum genus valde affine esse Diosmati, et ab hoc non nisi fructu vnicapsulari et arillorum defectu differre; HAENKEAM vero *punctatum* SCHM. non vnam eandemque plantam esse cum Diosm. *vnifloro*, contra sententiam auctoris cuiusdam anonymi Diarii med. Salzburgensis ‡) ut probetur, vix necesse est.

Expl. Tabulae. a. Calix absque petalis et nectario. b. Petalum. c. Flos petalis et calicis laciniis denudatus. d. Idem anterioribus staminibus et filamentis staminiformibus destitutus, ut pistillum fructificationis tempore apparet. e. Stamen ab exteriori parte. f. Idem a latere. g. Idem ab interiori parte spectatum. h. Pistillum. i. Calicis tubus anteriori parte denudatus et auctus, germinis situm sub nectario nec non stilum curuatum et decumbentem ostendens. k Stamen a parte exteriori cum tuberculo viscoso erecto, per lentem auctum. l. Calicis tubus explicatus cum nectario, staminibus et filamentis staminiformibus, per lentem visus. m. Pistillum pilis glanduliferis obfessum, auctum. n. Germen transuerso sectum et auctum cum situ et insertione seminum. o. Capsula calici inclusa. p. Eadem calice denudata et dehiscens. q. Eiusdem sectio transversalis cum seminum abortantium situ et insertione. r. Eadem longitudinaliter secta. s. Arillus elasticus dehiscens. t. Semen denudatum. u. Idem auctum. v. Idem dimidia parte testa denudatum et per lentem spectatum cum nucleo libero. w. Nucleus cum chalaza fusca.

\* ) Ex WENDLANDII obseruatione in D. nostro, *lanceolato*, *ciliari*, *rubro* aliisque capsulae in aere subcalido non nisi apice, calidissimo vero ad basin vsque debiscunt.

\*\*) Secundum LINNAEUM ET GAERTNERUM singulae Diosmatis capsulae semina solitaria continent, cum vero a WENDLANDIO in singulis loculamentis nostrae specie semper 2 (quorum alterum forte non nisi in nostra regione abortit) obseruata sunt; melius cum JUSSIEU (Gener. Plant. p. 298.) in hoc genere cocculi vel loculamenta mono- aut polysperma afflumuntur.

\*\*\*) Botanical Magazine. London. Vol. VIII. t. 273.

†) Nene und seltere Pflanzen, nebst einigen andern botan. Beobachtungen herausgegeben. Prag. 1793. — USTERI Botan. Annal. fasc. 6. p. 117.

‡) Anni 1793. n. 61.

## T A B. IX.

## ZYGOPHYLLVM FOETIDVM.

## DECANDRIA MONOGYNIA.

CHAR. ESSENT. Calix pentaphyllus. Petala quinque. Filamenta basi squamulosa: squamulis circa germen connuentibus. Capsula 5 locularis.

Sectio \*\* foliis coniugatis.

ZYGOPHYLLVM foliis petiolatis: foliolis obouatis, floribus nutantibus: petalis reflexis incisis.

FRVTEX tri- vel quadripedalis, diffusus, glaber, odorem foetidum alliaceum spirans.

CAVLIS ramosissimus, tetragonus, cicatricibus scaber, pallescenti- fuscus. Rami ramulosi, alterni, reflexi, curvati, fragiles, tetragoni, concolores. Ramuli teretiusculi, foliosi, floriferi, virides.

FOLIA opposita, petiolata, coniugata: foliolis obouatis integerrimis, carnosis, vinneruiis, vtrinque glaberrimis, laete viridibus. Petoli foliolis breuiores, canaliculati. Stipulae laterales, binae, oppositae, ouatae, membranaceae, margine pubescentes.

FLORES monostichi, ad latera baseos petiolorum subaxillares terminalesue, bini aut terni, nutantes. Bracteae stipulis conformes, sed bifidae et reflexae.

PEDUNCULI vnciales, vnfiori, teretes, apice incrassati.

PERANTHIVM pentaphyllum: foliolis inaequalibus, concauis, obtusis, extrinsecus tomento leui candido obductis.

PETALA quinque, reflexa, calice triplo maiora, sub germinis disco inserta, obouata, breuiter vnguiculata, vt plurimum apicem versus inaequaliter incisa, margine saepius inuoluta, etiam plicata, glaberrima, aurantiaco- flava, prope basin macula obcordata purpurea notata.

NECTARIVM constituant glandulae admodum paruae, disco annulari decemangulato insertae, succum nectarinum, intra filamentorum squamas contentum, fecerentes.

FILAMENTA decem, tereta, flava, basi compressa squamulosa: squamulis totidem circa germen connuentibus, oblongis, margine reflexis, inaequaliter ciliatis, concoloribus. Antherae subcordatae, biloculares, luteae.

GERMEN ouatum, pentagonum, viride. Stilus subulatus, basi leuiter striatus, viridis, sub fructificatione rectus filamentis breuior, deinceps curuatus paulo longior. Stigma acutum.

CAPSULA ouato- subrotunda, subpentagona, quinquelocularis, apice quinquefariam dehiscens. Valuulae receptaculo adnatae, ante plenam maturitatem crassae, carnosae, deinceps exsuccae, parte interiori cartilagineae, nitidae.

RECEPTACULVM columnare, subulatum, in axi fructus positum, capsulae dehiscentis tempore subquinquepartibilis: laciniis singulis cuique dissepimentorum margini centrali adhaerentibus.

SEMINA odo ad decem in quois loculamento, quorum vero non nisi duo maturescunt, inaequaliter ouata, glabra, nigra, ope funiculi parui compressi receptatulo affixa.

Habitat ad Caput Bon. Sp. — ? ex horto belgico ante plurimos annos nomine Zygoph. arborei introductum.

Temp. flor. per totam fere aestatem; fructus maturescit Decembri aut Januario. Aestate sub dio, hyeme in frigidario afferuandum. Per semina, facilius vero per taleas propagatur.

Ad Z. foetidum proxime accedunt retrofractum et Fabago. Priori ill. THUNBERGIUS \*) folia ouata et caulem retrofractum adscripsit, characteres minime huic speciei conuenientes; posteriori nostra planta non nisi quoad habitum et foliorum formam affinis, odore foetido, imprimis florum et fructuum structura diuersissimam speciem constituit.

Viri Cel. ANT. LAUR. JUSSIEU \*\*) auctoritatem sequutus, filamenta basi squamulosa, nec cum LINNAEO aliisque nectarifera dixi; nam et secundum WENDLANDII et meas obseruationes in Z. foetido, sessilifolio, Fabagine et Morgana, succus nectarinus fundo florum contentus, non ex filamentorum squamulis, sed ex germinis disco fecerintur. — GAERTNERUS †), vti et JUSSIEU ‡), in Zygophylli charactere constituendo capsulam oblongam statuunt, fructus vero formam in hoc, vt in plurimis aliis generibus, nullam notam distincliuam exhibere posse, satis patet ex eo, quod nostri Zygophylli icon capsulam subrotundam repraesentat, sessilifolium depresso- rotundatam, microphyllum emarginatam, aliae species aliter formatam constituunt.

Explicat. Tab. a. Calix ab exteriori parte visus. b. Stamina cum pistillo, quemadmodum fructificationis tempore apparent. c. Stamen auctum. d. Germen cum adhaerente disco nectarifero, per lentem auctum. e. Capsula. f. Eadem loculamentis duobus anterioribus denudata, ad monstrandum situm et insertionem semen, quorum in altero loculamento 2 matura, in altero vero 10 sterilia apparent. g. Eiusdem sectio transversalis. h. Semen remotum. i. Idem dissectum cum situ embryonis. k. Embryo denudatus.

\*) Prodromus Plantarum Capensis p. 80.

\*\*) Genera Plant. p. 296.

†) De Fructib. et Semin. Plant. Vol. II. p. 144.

‡) Gen. Plant. I. c.



## T A B. X.

MELASTOMA CYMOSVM.  
DECANDRIA MONOGYNIA.

CHAR. ESSENT. Calix 4-5 fidus, campanulatus. Petala 4-5, calici inserta. Bacca (vel capsula) 2-5 locularis, calice obvoluta, polysperma.

Sectio \*\* *floribus decandris*

†††† *foliis septemneruiis.* \*)

MELASTOMA foliis cordato-acuminatis denticulatis pubescentibus, floribus terminalibus cymosis.

FRVTEX humilis, bipedalis, erectus, succulentus.

CAVLIS ramosus, obtuse tetragonus, verrucis oblongis adspersus, fuscus. Rami oppositi, erecti, conformes, foliosi, floriferi, vti tota sere planta, pilis breuissimis aduncis pubescentes, virides.

FOLIA opposita, petiolata, patentia, cordato-acuminata, margine leuiter dentata, septemnerua; supra pilis sparsis hirta, subtus dilutiora secundum neruos et nerulos pubescentia. Petioli femunciales, teretes, stipulis destituti.

FLORES in ramorum apicibus terminales, rarius axillares, cymosi, speciosi, purpurascens. Bracteae nullae.

PEDUNCULI communes quatuor vel quinque, crassiusculi, purpurei, multiflori; partiales alterni, breuissimi, vniiflori. PERIANTHIVM monophyllum, campanulatum, pentagonum, quinquedentatum, pilis sparsis hirtum, et glandulis viscidis, siccitate punctum rubrum relinquentibus, adspersum. Color e viridi purpurascens.

PETALA quinque, calicis fauci inserta, patentia, magna, ouata, apice breuiter appendiculata.

NECTARIVM germinis apicem coronans, pateriforme, quinquelobum, margine pilis paruis, non nisi lentis operi distinguendis, adspersum.

FILAMENTA decem, calicis margini sub petalis inserta, patentia, compressa, flavescentia, alterne breviora angustioraque. Antherae filamentorum breviorum oblongae, compressae, supra basin contractae, interne longitudinaliter hiscae, flavae; antherae filamentis longioribus adhaerentes, falcatae, pariter compressae et ad latus internum sulco longitudinali exaratae, ex purpureo violaceae, maiori pollinis copia foetae, basi desinentes in processus incuruatos apice incrassatos obtusos flavi coloris cum ipsis antheris circulos dimidiatos constituentes.

GERMEN inferum, ouato-rotundum, calici ad nectarium usque adnatum. Stilus declinatus, teres, stamina aequans, purpurascens, basi virescentis coloris. Stigma acutum.

CAPSULA calici connata, subrotunda, quinquelocularis, apice quinquesariam dehiscens.

RECEPTACULUM pentagonum, carnosum, cum dissepimentis connatum.

SEMINA in singulis loculamentis plura, parua, oblonga.

Habitat in America meridionali. †

Temp. flor. a Julio ad Augustum; fructus maturescunt exeunte autumno. Hospitatur in caldario. Per feminam et taleas propagatur.

Plantam nostram nec LINNAEI speciebus conuenientem, neque a VV. Cl. AUBLETIO \*\*), SWARTZIO †) et RICHARDIO ††), qui recentioribus temporibus Melastomatis genus quam maxime auxerunt, descriptam inueni. M. *grandiflorum* Aubl. habitu quidem et foliorum forma nostrae speciei affine, verum superficie hirta, inflorescentia et imprimis singulari partium fructificationis structura diuersum. — De Melastom. et affinium generum charaktere essentiali alio loco sententiam meam proferam.

Expl. Tab. a. Flos. b. Petalum. c. Calix cum genitalibus. d. Calicis margo a germine separatus et explicatus ut filamentorum insertio melius appareat. e. Stamen maius. f. Idem auctum. g. Stamen minus. h. Idem auctum. i. Germen cum nectario. l. Idem auctum. k. Germen sectione transuersali. m. Germen vertice transuersim sectum et per lentem auctum.

\*) Huic subdivisioni adnumeranda est M. *septemneria* Lour. Fl. Cochinch. T. I. p. 273. Ed. Vlyssip.; forte etiam nonnullae alias sub decandr. quinquenerv. allatae species huc pertinent.

\*\*) Histoire des Plantes de la Guiane Franc. T. I. p. 402 et sq.

†) Noua Genera et Spec. Plant. p. 68-73.

††) Actes de la Societé d'Hist. Nat de Paris. P. I. p. 109.

## T A B. XI.

MELALEVCA LINEARIS.  
ICOSANDRIA MONOGYNIA.

CHAR. ESSENT. EMEND. Calix 5fidus vel 5dentatus. Corolla pentapetala. Capsula calicis ventre corticata, 3-5-vel-multilocularis, apice in totidem valuulas dehiscens.

Sectio \* *Icosandriae.* †)

† *capsula triloculari.*

MELALEVCA foliis linearibus carinatis: iunioribus villosis, floribus lateralibus sessilibus confertis.

FRVTEX sex ad septem pedes altus, erectus, laxus.

CAVLIS ramosus, teres, scaber, nudus, palescenti-albidus. Rami ramulosi, virgati, laxi, subuerticillati, teretes. Ramuli pariter subuerticillati, foliosi, floriferi, teretiusculi, superne subangulati villosi, fuscantes.

FOLIA subfessilia, sparsa, linearia, carinata, faepius falcata, etiam aduersa, apice mucrone rigido purpureo terminata, integerrima, coriacea, vinnerua; iuniora villosa virescentia, adultiora glabra viridia glandulis pellucidis notata, senescentia rigidiora scabra e fusco purpurascens.

FLORES in ramorum medio conferti, sessiles: superioribus per folia interstinctis. Bractae singulos flores includentes, ante anthesin vero deciduae, senae, scariose, leuiter villosae, fuscantes, tribus exterioribus brevioribus et obtusioribus.

PERIANTHIVM turbinatum, suberosum, pube molli obsecsum, quinquedentatum, dentibus brevibus obtusis fuscantibus.

PETALA quinque, calicis margini interiori inserta, rotundata, concava, membranacea, rigidula, viridia, punctis dilutioribus notata, extrinsecus et margine leuiter pubescentia.

NECTARIVM constituit margo membranaceus, calicis margini interiori adnatus, virescens.

FILAMENTA libera, numerosa, 36-48, calici intra petala et nectarium inserta, filiformia, vncialia, inferne compressa, glabra, purpurea. Antherae incumbentes, ouato-oblongae, didymae, flavae.

GERMEN fundo calicis infra medium adnatum, subrotundum, viride, libera parte villis densis appressis niueis tectum. Stilus filiformis, attenuatus, leuiter curuatus, staminibus longior, viridis. Stigma capitatum.

CAPSULA matura deflexa, subrotunda, coriacea, calice palescenti-cinereo rimofo semiuestita, trilocularis, apice trifariam dehiscens. Dissepimenta contraria.

RECEPTACULVM constituit tuberculum subrotundum, ad internum cuiusvis dissepimenti angulum, axi affixum.

SEMINA in quoquis loculo plura, linearia, angulata, fuscantes.

Habitat in Nouae Hollandiae sinu Botany-bay. 5

Tempus flor. a Junio ad Julii mensem; fructus perficit Decembri. Aestate sub dio vegetat, per hyemem in frigidario asseruanda. Per semina et taleas regeneratur.

Secundum GAERTNERUM haec species Metrosideri generi adnumeranda esset, sed potius SCHREBERUM †), Vir. Illustriss. sequendum censeo, qui ad genus naturale conseruandum, posthabita Polyadelphia, GAERTNERI Metrosiderum, Leptospermum et Melaleucam sub posterioris nomine in unum genus coniunxit. Differencia quidem inter libera et in phalanges distinctas digesta stamina omnino leuis non est, maioris vero momenti haud videtur esse, quam sexus diuersitas; et si haec in generibus constituendis non semper valet, ad illam quoque respici nequit. Saltem ab ipso LINNAEO genera, eaque naturalia constituta esse, licet species comprehendant, quarum aliae staminibus liberis, aliae basi coniunctis instructae sint, confirmant Mimosa, Lysmachia, Allium, Croton et plurima alia. Fabriciam, a Metrosidero et Leptospermo non nisi capsula multiloculari recentem, etiam ad Melaleucam refero. Philadelphus vero, quamvis multa similia habeat cum Melaleuca, distinctum genus constituere meretur.

Explicit. Tabulae. a. Bractea. b. Flos. c. Idem staminibus et stilo destitutus. d. Idem sine petalis. e. Stamen. f. Calix ab anteriori parte denudatus et auctus ut situs et insertio pistilli melius perspici posset. g. Capsula calice semiuestita. h. Eadem aucta. i. Eadem ab anteriori calicis parte denudata et per lentem visa. k. Eadem a toto calice denudata et aucta. l. Sectio transversalis capsulae auctae. m. Semina aucta.

†) \* *Icosandriae.*

† *capsula 3loculari.* Metrosideros BANKS et GAERTNER de Fruct. et Sem. Vol. I. p. 170-172. t. 34.

†† — 5loculari. Leptospermum GAERT. I.c. p. 174. t. 35.

††† — multiloculari. Fabricia GAERT. p. 175. t. 35. f. 4.

\*\* Polyadelphae. Melaleuca GAERTNER p. 172-173. t. 35. f. 1.

††) Genera Plantar. Vol. I. p. 332.

## T A B. XII.

INDIGOFERA GRAVEOLENS.  
DIADELPHIA DECANDRIA.

**CHARACT. ESSENT.** Calix patens. Corollae carina vtrinque calcari subulato patulo. Legumen linearis oblongum, faepius tetragonum. Semina cuboidea. \*)

Sectio \*\*\*\* foliis pinnatis.

**INDIGOFERA** pubescenti-viscosa, foliolis obouatis, racemis axillaribus, leguminibus teretiusculis pendulis.

**PLANTA** herbacea, vni. vel bipedalis, erecta, viscosa, graueolens.

**RADIX** annua, fibrosa, albida.

**CAVLIS** ramosus, teres, vti rami petioli ac pedunculi tota fere planta pilis glanduliferis viscidis, aliisque medio affixis decumbentibus rigidis et tactu facile deciduis, obfessus. Rami alterni, erecti, teretes.

**FOLIA** alterna, pinnata cum impari: pinnis quinque. vel sexiugis, oppositis, petiolatis, obouatis, subtus pilis brevissimis appressis albidis et margine glanduliferis viscidis adspersis. Petioli sesquiunciam et ultra longi, erecto-patuli, canaliculati. Pedicelli brevissimi, teretes. Stipulae ad latera baseos petiolorum geminae, oppositae, subulatae, patentes.

**RACEMI** axillares, erecti, floribus sex ad decem, paruis, purpurascientibus. Bracteae ad singulos flores solitariae, calice minores, reflexae.

**PEDUNCULUS** communis petiolis dimidio breuior, erectus, teres, gracilis. Pedicelli alterni, brevissimi.

**PERIANTHIVM** monophyllum, quinquefidum: laciniis angustis, patentibus.

**COROLLA** papilionacea.

Vexillum obouato-rotundatum, basi leuiter attenuatum, reflexum, dorso pilis sparsis hirtum.

Alae cuneiformes, vexillum fere aequantes, horizontales.

Carina obtusa, vtrinque basi calcare obtusiusculo notata, inferne leuiter hirta.

**FILAMENTA** diadelpha, teretia. apicibus adscendentibus purpureis. Antherae subrotundae.

Germen cylindricum, teres, pubescens, viride. Stilus staminibus breuior, adscendens, concolor. Stigma subrotundum.

**LEGUMEN** lineare, teretiusculum, pendulum, pilis glanduliferis obfessum, fuscescens, multiloculare, bivalve. Dissepimenta membranacea, alba, a valuulis facile separabilia.

**SEMINA** ope funiculi brevissimi futurae affixa, dena vel duodena, in singulis vero loculamentis solitaria, subcubica, glabra, pallecentia.

Habitat in Guinea — ? ○

Tempus flor. aestate; semina fert autumno. Afferuatur in vaporario.

I. *hiruta* caule erecto herbaceo, superficie pubescenti-viscosa, foliolis obouatis aliisque notis *graueolenti* proxime affinis est; differt vero foliis biugis patentissimis multo maioribus, floribus spicatis, stipulis feminalibus, praecipue autem leguminibus tetragonis, et quod odore graueolenti destituta sit. Ad Indigoferam nostram etiam in nonnullis partibus accedunt *dendroides* \*\*) et *hendecaphylla* \*\*\*); haec vero, exceptis aliis characteribus, caulibus prostratis et leguminibus tetragonis rectis, illa caule superne ramoso et foliis multiugis facile distingui potest.

Expl. Tabulae. a. Flos. b. Idem austus. c. Calix. d. Vexillum. e. Ala. f. Carina. g. Stamina. h. Germen. i. Legumen. k. Valuula cum dissepimentis. l. Semen separatum.

\*) GAERTN. de Fructib. et Semin. Plant. Vol. II. p. 317.

\*\*) JACQUIN Collectanea. Vol. II. p. 357. Eiusd. Icones Plant. Rarior. Vol. II. fasc. 3. t. 20.

\*\*\*) JACQ. Collect. loc. cit. p. 358. Icones loc. cit. t. 21.

*Tab. VII*




*Protea pulchella*

*Tab. VIII.*



*Dioctria uniflora* L.

*Tab. IX*



*Zygophyllum foetidum*

*Tab. X*



*Melastoma cymosum*

*Tab. XI*



*Melaleuca linearis*

Tab. XII



*Indigofera graveolens*